r. 1787.

Synakiewicz ks. Felix, reformat

Ecloga super reditum ex Ukraina ... Stanislai Augusti.

ECLOGA

Super Reditum ex UKRANIA ad Sedem Regum

Subjectiſſimosque Suos

SERENISSIMI

STANISLAI AUGUSTI

Regis Poloniarum, Ducis Magni D. Lithvaniæ &c.

Domini Clementiſſimi

Menſe Julio, Annô 1787.

Per Patrem Felicem Synakiewicz Reformatum

Sæ. Maieſtatis Regis Poloniarum Actualem Theologum,

Provinciæ Pruſſiæ Ex-Definitorem, Gvardianum

Gedano-Stolcembergenſem

DECANTATA.

Ad

SERENISSIMUM POTENTISSIMUM

STANISLAUM AUGUSTUM

Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithvaniæ &c.

Dominum meum Clementiſſimum.

Qua fas eſt, humili mentis pietate, fideque
Submiſſâ, hoc opus exiguum, parvumque labore
Reddo Tibi ſacrum ſupplex, Tu fronte benigna
Aſpice, quæ ferimus, tenui munuſcula cultu:
Da facilem curſum, atque audacibus annue cæptis
Princeps, hoc vaſto, major virtutibus orbe
Quem regis; o! Patriæ Pater, & ſpes unica noſtri.
Non ego divitias non auri munera capto,
Fallaces imitata hamos: ſat dives habebor,
Si mihi contigerit placatum Numen habere
Principis, & vultu capi mea dona ſereno.
Amplius haud voti deerit pars debita noſtri.

Sæ. Suæ Regiæ Mttis

Domini Clementiſſimi

Theologus, & Fidelis Subditus.

Semper Honos Nomenque Tuum
laudesque manebunt.

Virgil.

TITYRUS & JOŁA.

T. *Jola* quid quereris? quid fles? plorare virilem
Non decet ætatem. Cauſam Vicine revela.
Pol grave quid fuerit, nam quot jam luſtra peregi
Tecum? Credo decem: nec ſic te fleſſe recordor.
Ne ſic te perimas, ſuſpiria ſingula guttam

Sanguinis, ut perhibent, tractant ex Corde, periti.
Excute (te quæso) tanti momenta doloris,
Qui si longus erit nullâ medicabilis arte est,
Nec finem capiet donec tibi vita superstes.
Hinc cesset dolor, hinc planctus, quô vita senescit,
Inque senem, Juvenem mutat, jam morte cadentem.

J. Eheu! tune rogas oculis cur decidit unda?
Aspice Varsaviam, premit altum Corde dolorem;
Aspice Magnates, populum, Clerumque, gregemque;
Sive vir, aut mulier seu sit juvenisque, senexque,
Omnes nonne vides in fletum ducere voces?
Hac in Sede *Ducum* Communis Tityre luctus
Te ne fugit? *Princeps* nescis ubi? qualia nescis
Fama ferat? *Pater* hic *Patriæ* perrexit ad illos
Lechiadum Regni fines, quos occupat atrox
Gens *Cósacûm* furibunda, ferox, vilisque, levisque,
Quæ toties fuerat Regi Regnoque rebellis;
Gens assveta diu civilia bella movere.
Tityre? te ne fugit CASIMIRI tempore Regis; (*)
Heu! quantis luimus nos tristia prælia damnis!
Invasit Lechiam Matrem, hæc soboles malè grata.
Opprimit insontes, mactat juvenesque, senesque;

Sit

(*) Anno 1648 Vladislaus IV. Rex fatis concessit, ætatis 52. Regni Anno 16. Cujus post mortem, sub tempus interregni; nec non tenente Regni Sceptra Joanne Casimiro Rege Poloniarum plebs Cosacorum *Zaporoviensium* Seditiosa, ad Borysthenem in *Ukrania* habitantium, Duce Bogdano *Chmielnicki* rebellia arma contra Regem Regnumque movit. Hæcque rebellio longo annorum tractu est continuata, non sine magna strage, cædeque dirissima Incolarum

Sit vir, ſit mulier, rapit omnia fluminis inſtar,
Plena feræ cædis fuerant, & plena Cruoris.
Obruta mole ſuâ cum corpora dira jacerent,
Perfuſam multô cæſorum ſangvine terram
Immaduiſſe ferunt, & rura nataſſe cruore.
Non aliter: quam cùm nivibûs de monte ſolutîs
Vere tepente, madet tellus pluvialibus undîs.
Saxa jacent, nulloque domus Cuſtode tenetur;
Quæ nequeunt ſecum ferre, aut abducere, perdunt;
Quid ſupereſt reliqui; comburunt vindice flammâ.
Hos inter populos verſantem, tu ne putabis?
Tityre ſecurum Regem, Dominumque reverti?
O! optate tuo populo Dulciſſime *Princeps!*
O! *Auguſte Pater Gentis!* non herclè decebat,
Sic nos deſeres, ut tanta pericla ſubires.
O! illuceſcat lux hæc, adventet & hora,
Ad nos Te referens, Te, Te vocat omnis, & optat.
Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta, (videsne
Tityre? marceſcunt,) revocant o optime Regum
Heu! redeas, populumque tuum mærore jacentem,
Mox recrea, redeas, vel tanto angore perimus.
Tityre præterea: neſcis quæ ſemina morbi?
Rex ubi verſatur. Confinis Turcia Lechis
Peſte frequens moritur, graſſatur læthifer æſtus,
Oppida, per pagos, tollens hâc tabe quotannis;
Hinc: Auram Regi ſimilem timeo nocituram.
Tu Deus omnipotens, Regumque ſuprema Poteſtas;
Hunc Comitâre *Ducem* nec ab Hoc Tua Dextra recedat,
Alarum Deus AUGUSTUM defende ſub umbra.

Inſu-

Insuper: oro, velis, dubias componere mentes,
Tityre, quæ *Jolam* conturbant. Rex ubi degit,
Implentur validæ numerosô Milite turmæ.
Hinc Oriens, illinc Septentrio, & Austria ducit
Pugnaces Equitum turmas, peditumque catervas,
Ore truci, vultuque minax stat miles ubique,
Expectans signum pugnæ, sonitumque tubarum.
Hæc quid sunt? video mars toto sævit in orbe.
Ad nos illæsus *Princeps* poteritne reverti?
O! AUGUSTE Potens! o! STANSLAE pacis Amator!
Te superi servent a bellis *Angele Pacis*.
Claudant astra (precor) *Janum*, (*) sat Regna biberunt
Sangvinis, optatæ sint nobis tempora pacis,
Pax fæcundat agros, pax messibus horrea rumpit,
Sub juga bos veniet, sub terras semen aratas.
Omnia pace vigent, utinam sint *fœdera Pacis*.
Hæc sunt, quæ miserum me *Jolam Tityre* turbant,
Hæc gemo, te solum ridentem *Tityre* miror,

T. Rideo, quod tali famæ sis credulus ultrò,
Fallitur, & fallit, vulgi qui pendet ab ore.
Hac à Sede DUCUM tu cum sis *Baltida* (**) distans;

Igno,

(*) *Janus*, Armorum & Mensium Deus; Pacis & Belli arbiter, antiquissimus Italiæ Rex; quem geminam faciem prætulisse ferunt. Templum illi Romæ consecratum ad infimum Argiletum a Numa Pompilio, quod tempore belli patebat, tempore pacis claudebatur. Unde Patultius & Clausinus cognominabatur, ut autor est *Servius*. Constat autem templum hoc ter fuisse clausum: 1*mo*, regnante Numâ; 2*do*, post bellum punicum; 3*tio*, post bella Actiaca, quæ confecit Augustus.

(**) Id est: ad Mare Balticum circa Gedanum habitans.

Ignoras penitus, pia quam ſint Numina Regi;
Pagina quid referat? cunctarum Nuntia rerum.
Neque tuum poſſum *Jola* culpare dolorem;
Reddis juſta Duci. Quis non veneretur, ametque
Talem? Cui Nomen gravitas Auguſta Benigni
Finxit, tranquillæ qui curat commoda Pacis.
Qui florem muſis, Patriæ qui commoda noſtræ
Conciliat, qui dat placidos ediscere mores,
Ingenuasque colit ſtudiis, & ſumptibûs artes
Munificus, doctisque viris, dat præmia Juſtus,
Moribûs ut ſanctis formetur & Arte Juventus.
Quæ ſunt civilis, nexus, ſunt vincula vitæ.
Quid moror? immenſum eſt: virtutes dicere ſanctas
Rex AUGUSTE Tuas. Aliis quæ ſingula namque
Eſſe ſolent bona, Relligio, moderatio morum,
Juſtitia, & legum pietas fidiſſima Cuſtos;
Inculpata fides, & ſancta modeſtia vitæ
Magnaque vis animi fortis, Clementia mitis,
Ingenii vigor *excellens Sapientia* Regum,
Quâ regere imperiô populos, & legibus urbes
Quâ fundare queas, pacique imponere morem
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.
Omnia ſolus habes, propriô ceu Pectore nata
Omnia conſpirant in Te concorditer unum.
Ergo times meritò Talis, Tantique Parentis
Caſum, ne ſit Ei præſens fortuna novercans.
Sed non Te Crucies *Jola*, ſis fronte ſerenâ
Mox veniet Princeps ad nos, mox Crede reviſet
Ille ſuos, hinc: jam querulum ſeponito luctum.

J. Nu.

J. Numina ſemper ego pulſabam ſupplice voto,
Reſtituant nobis AUGUSTUM ſoſpite vitâ.
Sed dic, posco, mihi, quid certi *Tityre* nôſti?
Alloquiô dulci noſtrum relevato dolorem.
Jam lacrymas, gemitus ſepono, dic citò tantum.

T. Quæ Scio, que legi, quæ defert publica fama:
Hæc tibi nota volo fieri mi *Baltida* Care.
Ductus amore ſui populi, perrexit ad oram
Ukraniæ *Princeps*, vacuam nunc mente rebelli,
Noverit ut Dominum quondam gens ſeditioſa:
Quam matura gravi regnat prudentia mente,
Quam tranquilla fovet Regis Clementia pectus.
Quæ ſit cura Patri de cunctis? quique labores?
Sollicitudo vigil? tendens ad Commoda Regni;
Quæ: ſomnos rumpit, (nec dat quandoque,) ſalubres.
Excipit hoſpitiô Regem *Kaniovia* (*) noſtrum,
Cujus in adventum plebis Procerumque Caterva
Funditur, & faciunt hæc quæ ſunt Principe digna.
Dulcis erat viſu cunctis, mox vocibus auras
Implent, Salve Parens Princeps ter maxime ſalve.
In Te nam Patriæ Spes inclinata recumbit,
Tu plebi, quodcunque fovet jam mente ſalutis,
Concilias; Tu das rebus ſuccurrere lapſis,

In

(*) *Kaniovia* eſt Civitas ad Boryſthenem ſituata in Palatinatu Kijovienſi ſeu: in inferiori Volhynia. Ubi a Sereniſſimo Rege Domino Clementiſſimo expectabatur adventus Sereniſſimæ & Invictiſſimæ Catharinæ II. Imperatricis Totius Ruſſiæ, Quæ: *Kijoviâ* Claſſe magnificentiſſima & felicibûs Boryſthenis undis vehebatur, in limitibus Regni Poloniæ (quos perluit hic fluvius) ſalutanda.

In Te oculos, in Te ora vides, conjecta Tuorum
Undique. Te clamant omnes Dominumque, Patremque.
Salve iterum atque iterum Salve, Te gratia Cælô
Pro meritis tantis, cura, pietate, labore,
Certa manet. Tibi Posteritas se devovet omnis,
In laudes operosa Tuas, gestûmque Tuorum.
Sed satis est. - - - Filum verborum rumpo meorum
Est dixisse satis: duo maxima Numina Terræ
Hic habitans *Princeps* sibi fædere junxit amico.

J. *Tityre* quidquid habes cordis, vel quidquid amoris;
Dic mihi plura, precor, verumque soleris amicum:
Rex mihi dimidium vitæ: pars maxima vitæ est.

T. Non opus est verbis mi *Jola* respice solus
Hanc partem terræ, quâ stat *Kijovia* nobis
Proxima, quæ cernes; memori nota pectore, facta.

J. *Tityre*, *Tityre*, o! dulcissime Tityre! cerne,
Fors veniunt ad nos fluvialia Numina Nymphæ
Naiades utrum sint? non hoc scio, *Nereidesve*? (*)
Equoreæ pelago fors emersêre Sorores?
Roxolana Ratis vehit illas, signa patescunt.
Credo *Deas*: nam cur mandavit noster APOLLO

 Pri-

(*) *Najades* dicuntur Nymphæ fontium & fluviorum. *Nereides* sunt nymphæ maris, *Nerei* & *Doridis* filiæ, humanam effigiem habentes, quarum nomina sunt: *Nesæe* & Cymothoë, ac alia quæ apud *Hesiodum* in Theogonia enumerantur.

Primus ut aſpectus fuerit claſſisque, ratisque;
Miles adeſto ſtatim, velox explodito centum
Atque ſemel vicibus belli tormenta parata.
Hanc ego credo *Deam* mi Tityre, Gentis amantem
Noſtræ, nam reboant pariter tormenta *Dearum.* (*)

T. Sanè vera refers: hoc Numen ſemper amicum,
Lechiadum Genti ſociatum eſt fœdere firmô.
Temporis adde moram parvi; ſpectare licebit
Plura tibi *Jola.* En! noſtri jam limina Regni
Tangit propitium Numen, Jam noſter APOLLO
Feſtus præſigni pompâ properavit ad Amnem,
Allaturus Ave, dicturus verba ſalutis. (**)

J. *Tityre* jam novi Nymphas, jam Numina Terræ,
Littoribus claſſem modò quæ appulêre Boryſthen.
Dives opum, dives pictai veſtis, & auri
Cum Patriis Nymphis, & fæmineo Comitatu
Eximia formâ præſtans, & divite cultu,
Tota decens, pompæque decus, Comitumque ſuarum,

Cum

(*) Ad primum Conſpectum Claſſis Imperatoriæ 6ta Maji hora 10 ante meridionali, de mandato Sereniſſimi Domini exploſa ſunt tormenta bellica Centies & una vice. Officium viciſſitudinis exhibuit Claſſis Imperatoria exoneratione tormentorum novies. Toties enim honor tribuitur Coronatis Capitibus, more exercitui navali conſveto. Caſibus in ordinariis ſepties non niſi ejusmodi machinæ rebòânt.

(**) Sereniſſimus Rex D. C. Ducibus Proceribus Regni, omnibusque præſentibus Magiſtratibus ſtipatus, hora 12 meridionali *Kanioviâ* ſe ſe recepit ad littora Boryſthenis carpentô vectus, ſalutatum, Potentiſſimam & Invictiſſimam Imperatricem. Quàm ſolenni apparatu? quove fuerit honore exceptus? *Exili nequeo verſu, quæ ibi facta, ſonare.*

Cum facie mores cui dat natura pudicos,
Et raras dotes animi, fideique togatæ,
Cujus in ingenio veterum mens alta Parentum,
Et vigor, & læto gravitas immixta decori.
Cujus in ore nitor, frons clara, & eburnea Cervix,
Et facies nivea, & roseo suffusa Colore,
Qualis in apprica, pendentibûs, arbore pomis
Apparet color; Advenit *Sapiens* CATHARINA:
Dans Roxolano Populo imperialia Jura.
Quæ virtute suâ veteres Heroidas æquat:
Fæmina Digna illis; quas aurea condidit ætas.
Sed quid ego video? - - Socialia fœdera tantos
Inter Regnantes, quam visu dulcia nobis!
Cordis commonstrant gratantis mutua vota,
Chara Soror, Fraterque velut sermone tenentur.
Tityre, cerne, rogo, quali dignatur honore
Hæc *Pandora* (*) Jovem nostrum, Dominumque Potentem (**)
Et Proceres Regni quàm Comis suscipit omnes (***)
O! Te felicem, Patriam ter, terque beatam

 Impe-

(*) *Pandora* mulier formosissima, & gratiosissima, cui: singuli Dii sua dona dederunt scilicet *Pallas* Sapientiam, *Venus* Decorem, *Apollo* Musicam, *Mercurius* Eloquentiam. Unde dicitur *Pandora*; quasi omnium donum, vel ab omnibus donata.

(**) Serenissima & Invictissima, ac semper Augusta: Sapiens CATHARINA II. Totius Russiæ Imperatrix Serenissimum STANISLAUM Augustum Regem dignata est Ordine Equitum S. Andreæ Apostoli, hocque insigni in toto Imperio præ cæteris primo, de suis humers deposito decoravit, hunc amantissimum Patrem Patriæ Polonæ.

(***) Ordine Equitum S. Alexandri Nevensis plures Regni Proceres optimè de Rege & Rep. meritos condecorare dignata est abunde effusô donô gratiarum Thesauri sui.

Imperiô AUGUSTI, & tali *Junone* secundâ (*)
Ipse toro residens herboso Scythicus Amnis, (**)
Carbaseæ, viridi velatus tegmine pallæ
Frondeque populeâ cinctus, cannâque palustri,
Lætitiæ sensit dulces sub pectore motus
Musarum sacros cantus, plaususque faventûm.
Populeas inter frondes, & amæna vireta
Perlustrans tacitîs oculis, & mentibûs omnes,
Illos præprimis: Quos cingit fulva Corona,
Semideûm blandos oculos miratur, & ora.
Fluctibûs hinc spumat multîs, turgetque superbus,
Postponit fluviis, ac amnibus omnibus unus:
Quod fuerit binô sceptrô, & diademate clarus;
Tandem sic blandîs compellat vocibus ultrò.
Ingredere o! quicunque es (ait) quem Numina poscunt,
Felix, ac nostris succede penatibus Hospes
Gens Diis cara, hominum generi veneranda Propago
Dii tibi sint faciles. Dominos ego nosco Potentes:
Imperium terris æquastis, Nomen Olympo.
Salvete Illustres animæ, & gratissima nobis
Numina: vos primus novit, vos ultimus orbis
Vos cœlo positos veneratur vesper & ortus,
Hæc dum lætitiæ dat festæ signa Borysthen
Ex nostris oculis *Princeps* disparuit ecce.

Tity-

(*) *Juno*, *Filia Saturni* & *Opis*, Soror Jovis, Dea Regnorum est habita. Junonem, à *juvando* credo nominatam: ait *Ambr. Cal.*

(**) *Borysthenes* dicitur fluvius Scythiæ secundum Istrum omnium maximus, cujus aquæ ad potandum sunt svavissimæ, & magnos Pisces alunt nulla habentes ossa, prout testatur. *Ambr. Cal.* In hoc fluviô peracta sunt mutuæ salutationis officia.

Tityre, fcisne? pedem quò movit Rex, Decus orbis
Lechiaci? dicas, quali confiftit in ora.
Heu video redeunt iterum momenta doloris,
Inque novos, mutant mi Tityre gaudia, luctus.

T. Mente bonâ fueris Jola, depellito curas
Triftes, interdum miscentur triftia lætis.
Korfuń (*) habet *Regem* nativi ditio Regni,
Mox illò veniet *Cæfar*, mox Ille JOSEPHUS
Quem penes Imperii Romani Summa poteftas:
Gens vetus illa nimis, totum celebrata per orbem;
Felici totum quæ complet Nomine mundum.
Nam quò non penetrat virtus, operofaque rerum
Gloria? quæ laudum Gens eft ignara JOSEPHI?
Non fua Majorum fe limite continet amplo
Gloria, fed priscos Generis contendit honores
Vincere, Clarorumque decus geminare Parentum.
Cujus in ingenio virtutis Imago Paternæ
Et mentis decor, & ftudium probitatis & æqui
Emicat, & cultæ fvavis facundia linguæ.

J. *Tityre* jam venit, jam Regia panditur Illi (**)
Oscula quæ rofeîs figebant preffa labellis
Dant

(*) *Korfuń* eft Civitas parva in *Ukrania*, feu inferiori *Volhynia*. Ubi quondam facta eft rebellis Confpiratio per Zaporovienfes Gozacos adverfus Regem Joannem Cafimirum & Kemp.; ibi fiunt Fraterni Monarcharum Conventus, ibi ftatuuntur fædera amicitiæ, fcilicet: Sereniffimum Jofephum II. Imperatorem Romanorum inter, & Sereniffimum Stanislaum Auguftum Regem Poloniarum.

(**) Magnus Ille Jofephus femper Auguftus Cæfar ingrediens Regiam Serenis-
fimi

Dant repetita ſibi, *Cæſar* cum *Rege* Polono:
Compellatque *Ducem* Noſtrum ſermone ſecreto.
Qui, qualis fuerit? non audio Tityre planè
Nam clamant, *vivat* STANSLAUS, *vivatque* JOSEPHUS.
Hæc ego defixîs oculîs dum ſingula cerno;
Aurea reſtituet ſolidam concordia Pacem.
Rebus, Credo, tuis melior fortuna favebit
Lechia, ſed meritò ſunt conſignanda Coloſsîs
Hæc loca, quæ præſens *Cæſar* ſacravit, & illa;
Quæ *ſapiens* CATHARINA *ſecunda* reviſere fecit.
Nec dubito, quin ſit Gens erectura Coloſſum
Rex AUGUSTE Tibi, Qui talia commoda curas.
Semita quæ ſolis, Lunæ qui curſus, is idem
Rex eſt Geſtorum poſt ſæcula multa Tuorum.
Unde: Tua interitum non unquam facta verentur,
Concedet Geſtis, genium, per temporis omnem
Circuitum, nova fama Tuis, & grata vetuſtas.
Qui modò clarus, eris poſt funera major, ut Arvo
Mandatum ſemen glebis ubi putruit actîs,
Conceptâ virtute redit natalibus agris,
Fænore centeno gratum locupletat arantem.
Gratulor, in gravidis libris Tua gloria vivet
Pro Cura Patriæ ſerâ celebrabêre Famâ:

T. En Jola! num ſim, ſimulata mente, locutus?
Gaudendum, quantô Regem dignantur Honore,
Sangvine Cæſareo nati, Fraterque ſororque.

Queîs

[...]nii Stanislai his verbis expreſſit [...] theſſeram affectûs, & officium mutuæ amicitiæ *Vous avez voulû me voir, vous avez ordonné, me voila.*

Queîs vidiſſe (ſatis fuerat, venerentur, amentque)
Regem (*) Sors ortûs, Cui dat Regale Tribunal,
Et quas, Principibus multis natura negavit
Corporis ac animi dotes, has contulit Illi.

J. Quæ tam tarda tenet Regem mora, Tityre ſcisne?
Jam dixêre ſibi vale Rex & Cæſar amicum (**)
Quid ſupereſt tanti? pertæſa eſt Regia Regis
Triſtitiâ grandi premitur *Varſavia*, Nosque:
Ne nimiâ Curâ victus, magnoque labore,
Extenuet vires laſſatas, *Gentis Ocellus.*
Sæpe Deos ſupplex, prece devenerâre benignos
Tityre, ſubſidio ſint forti, Numina Regi.

T. Sciveris eſſe *Ducem* ſalvum rectèque valentem
Fertque retro greſſum Clementi Numine vectus.

J. Hem quid ais? Totum me Tityre chare bèaſti
Sed non falle, rogo, ſed dic hæc noveris unde.

T. Rure vides redeo, vidi mea rura, bovesque,
Et capras & oves, & quid mea prata pererrat.

Per

(*) Sereniſſimus Joſephus II. Cæſar ſemper Auguſtus: poſt habita Conſilia cum Rege Poloniarum, dixiſſe fertur; Qui viderit Regem Poloniæ ſtatim amet eum oportet, ſitque Illi fædere amicitiæ conjunctus.

(**) Sedens iam in carpento Sereniſſimus Cæſar, datîs ſibi adinvicem manibûs cum Sereniſſimo Rege Poloniarum, his Eum verbîs ultimum Vale dicentibûs allocutus eſt: *Je vous prie, ſoyez mon Ami, & comptez ſur tout, que j'y ai eu l'honneur de Vous dire.*

Per nemus hoc abiens, en audio dulce Canentes,
Audio; nil video, pergo, mihi tanta placebat
Muſica. Longè aliud, noſtræ-dant quale puellæ,
Dum mulgent pecudes, abigunt, dum rure boantes;
Carmen erat. Pergo, tandemque ſub arbore Trigam
Virgineam video, chelyn altera, et altera Syſtrum,
Tertia neſcio quid (mihi res inviſa) tenebat.
Sint homines? dubito, videam vel ſpectra? timebam.
Obriguit pectus coiit formidine ſangvis.
Inde pedes retrahens, curſum meditabar ad ædes,
Et forſan videor, Surgunt hæ, *Tityre* clamant.
Tityre ſiſte pedem, (miror qûi nomina norînt)
Tityre ſiſte gradum, tibi noſtrum nulla nocebit.
Siſto, datis manibûs comis me quæque ſalutat.
Altera ſe *Pacem* ſe ſe altera *Relligionem*,
Altera *Juſtitiam* ſe ſe dicebat, & ecce:
Unanimes roſeo memorabant iſtud ab ore.
Nos tres *Triga* ſumus, Sylvâ hâc, hanc figere ſedem
Nobis perplacuit, quorumvis finibus exul
Noſtrum quæque, vagans Colluget, nullibi tutas
Reperimus portas, ex omni pellimur Orbe.
Impietas, & Mars, et fraus nunc omnia regnant.
Hic in Lechiacis habitabimus urbibus, hîc, hîc,
Varſaviæ ſedem figemus, & exulet illinc
Mars ac impietas, ac fraus nil juris habetis
Nil nihili. Princeps Quem nos formavimus, horâ
Hac Tibi reddetur. Pacem ceu ſemper amavit,
Juſtitiam Coluit veluti pietatis amator;
Sic hoc, quod voluit, proficiscens, omne reportat.

Hic pax, hic pìetas concordia corda vigebunt:
Hinc mars, hinc lites, & fraus hinc omnis abibit.
Jam jam DUX aderit, nectamus ſerta, decenter
Excipiamus Eum, nobis habitacula Princeps
Ille dabit, noſtri conſtans Protector, Amansque.
Hæc mihi *Triga* dedit reſponſa, Tibique repono
Jola, Tu quid ad hæc dicis? credisne? ſed audi,
Unde venit ſtrepitus? quis clangor & iſte tubarum?

J. Quas ego? - - - Sed dubias præſtat componere mentes.
Expectata dies tandem, cæleſtibus æquis
Affulſit terris, & votis ſæpe petita:
Stirpe *Jagellonum*, quâ Rex oriundus avitâ,
Jam repetit ſedem, populi jam gaudia complet.
Jam video denſo glomerari pulvere nubes
Jamque tubæ, lituique ſonant, & tympana, lætâ
Pulſa manu, raucis fremit, undique Cantibûs æther,
Adventusque Virûm fremitusque ardescit equorum.
Tityre - - - jam ſubeunt equites, urbique propinquant
Compoſiti turmis, it clamor & agmine facto
Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.
Audisne? in nubes atro disploditur igni
Machina, ceu rutilo vibratus ab æthere fulgor
Cum ſonitu venit, & perrumpit fulmine nimbos.
Læta ſatis, dulci, fora ſunt, & compita plena
Murmure, concurrunt juvenes velut agmine facto,
Immixtique viris pueri, ſenibusque puellæ,
Felicem adventum gratantes pectore læto:
Excipiunt Regem votis, & Carmine feſto,

Grataque finitimis reſponſat montibus Echo
Longævæ exoptans felicia fata ſalutis.
Ipſi adeo Proceres, gemmis oſtrôque decori,
Frænatis lucent in equis: quos omnis euntes
Turba diu mirata, fremit, juvenumque, ſenumque.
En! nova declarant ſublatô ad Sidera vultu
Gaudia, lætitiâ perfundunt pectora dulci.
Inter Quos Regni Primas, Magnusque ſacerdos
Cujus ab ore, velut reſoluti nubibûs imbres
Verba *Periclæo* promanant, culta lepore,
Muſarum Columen, veræ pietatis amator,
Templa Deo, doctisque ſacrans Collegia Muſis.
Plurima cui debet Gens, cui dat magnus Honores
Jupiter, Ingenium *Phæbus*, (*) *Cyllenius* (**) ora,
Hic lætabundo *Regem*, Fratremque ſalutat
Corde, ſimul junctîs Patribûsque Virîsque Senatûs.
Ingredere ô Princeps (rogitant) Cui Sceptra Deûm Rex.
Donat, & in Sedem Regni vocat omine fauſto.
Ingredere ô animis æquis: mentemque benignam
Subjectis oſtende tuis: tua jura libentes
Accipimus: tuus, ô Hospes divine, quid optes,
Explorare labor: nos juſſa Capeſſere fas eſt.
Mox feriunt omnes feſtivis cantibûs aſtra,
Templa dicata: citò Clerus concentibus implet,
Grata Deo reddens pro ſalvo *Principe* vota.

Quæ?

(*) *Phæbus* id eſt *Apollo*, Filius Jovis & Latonæ, Scientiarum Deus, Præſes Muſarum in Parnaſſo, Helicone & Pindo.

(**) *Cyllenius*, dicitur *Mercurius* Jovis & Majæ Filius, Deus eloquentiæ, & interpres, aut Nuntius Deorum.

Quæ? & Tibi Vir, grates debentur *Beclere* Galene? (*)
Pharmaca quô nemo miscente, peritiùs ægris
Applicat, & morbis tam felix nemo medetur.
Quæ Tibi Vir grates debentur? Fama perennis.
Poſt varios caſus, poſt tanta perîcla viarum
Poſt tempeſtates, æſtum, frigusque nocivum
Continuos ventos, pluvialia tempora cæli:
Auxiliante Deo, quia Regem ſoſpite vitâ
Reddis Varſaviæ nunc, cuſtos Angele Regis
Auratis tabulis, tua Nomina Lechia mandet. (**)

T. Hæc dum vota litant alii, tu nulla litabis
Mi Jola Regi? vitâ Qui dulcior ipſâ?

J. De grege Servorum quod ſim *Ducis*, hæcne latent Te
Tity-

(*) *Galenus* eſt nomen Medici excellentiſſimi, ex Pergamo Aſiæ urbe. Floruit temporibus Trajani adusque Antonini Pii tempora. Plurima reliquit de re medica conſcripta volumina. Scripſit & dictionarium in omnia Hippocratis opera ordine litterarum. Fama eſt, 140 annos vixiſſe.

(**) Celsiſſimum Excellentiſſimum ac Reverendiſſimum Capitulum Cracovienſe, Menſe Julio, quô, ſpatiô duarum ſeptimanarum commorari dignatus eſt Cracoviæ, Sereniſſimus Rex Poloniarum Dominus Clementiſſimus, obtulit Perilluſtri *Joanni de Bekler* duas tabulas ex auro puro fuſas in theſſeram gratitudinis, quod conſervaverit in bona Soſpitate ſacram Regiam Majeſtatem, itinere longo, multisque curis pro bono Patriæ laſſatam: In tabulis ſequens legitur inſcriptio ::: *Joanni de Bekler*, *Sereniſſimi Stanislai Auguſti Regis Poloniarum*, *Magni Ducis Lithvaniæ &c. Archiatro*, *et Conſiliario intimo*, *eruditione Hippocratica percelebri*, *pro eo*, *quod Suæ Majeſtatis valetudinem*, *in longo itinere à Regia Varſavienſi ad littora usque Boryſthenis*, *ad colloquia cum Catharina II. Totius Ruſſiæ Imperatrice*, *et Joſepho II. Romanorum Imperatore habenda ac inſtructa exantlato*, *ſolicite feliciterque ſervaverit cum inde redux Regum optimus*, *Pater Patriæ*, *Gentisque ſuæ delicium urbem Cracoviam beaverit: Prælati et Canonici Ecclesiæ Cathedralis Cracovienſis. has tabulas ex auro fuſas formam libelli præſeferentes*, *in monumentum grati animi obtulerunt Cracoviæ IX Calendas Julii*, *Anno æræ vulgaris MDCCLXXXVII.* — In hanc Urbem Civium frequentiâ, Sede Regia, & Muſarum ſtudiis florentiſſimam luſit Carmina Georgius Braunius.

Hîc Homines, hic Rex, hic habitantque Deæ.

Tityre? (*) Non fugio pro Illo, ſeu grande periclum
(Quod tamen avertat ſummi Clementia Patris)
Sive laboris onus: vitam cum corpore fundam.
Sed mihi dic referam, quas dignas Principe grates?
Non opis eſt noſtræ, condignas condere laudes.
Me gregis eſſe Ducem nôſti, paſtoria tantùm
Canto, Principibus cantat Divinus *Apollo*.

T. Sit nobis voluiſſe ſatis, ſit honeſta voluntas
Grata tibi, parvo ſuperi quoque munere gaudent.

J. Sciveris o! Princeps te longo grata ſonabit
Poſteritas ævo. Nec vates promptiùs ulli
Quam Tibi ſudabunt. Pietas Tua, ſancta fidesque,
Materiam laudis, virtus dum ſtabit, habebunt.
Annales Regni, qui ſcribit Lauriger Ille
Vates, (**) qui fuerat Sociusque Comesque viarum
Principis, Hic prelo mandabit ſingula facta;
Quas gêſti curas, tuleras magnosque labores;
Aris pro focisque, ſuis pro civibus olim.
Infreta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt Convexa, Polus dum ſidera paſcet,
Dum vehit amnis aquas, dum cultus gramina campus;
Semper honos, Nomenque Tuum, laudesque manebunt.
Dii Tibi (ſi qua pios reſpectant numina? ſi quid
Usquam Juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti)
Præmia digna ferant. Quæ Te tam læta tulerunt
Sæcula! Qui tanti Talem genuêre Parentes?
Te Deus incolumem ſervet, Te proſperet opto,
Ipſe diu, vitæque tuæ det mollia fata:
Aspiretque Tuis cæptis ſanctoque labori,
Hoc precor, hoc mecum quoque, Concio tota precatur.

(*) Ex ſingulari Gratia Sæ. Regiæ Mttis Domini Clementiſſimi, die 15. Januarii 1786 recepi diplomma pro munere Actualis Theologi Regii.

(**) *Adam Naruszewicz*, Episcopus C. Smolenſcenſis, Magnus Notarius Magni Duçatûs Lithvaniæ, eſt Annalium Regni puriſſimus Scriptor, quem ob ſummam eruditionem, excellens ingenium Sereniſſimus & Clementiſſimus Dominus in numerum laureatorum Poetarum adſcivit.